DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO CHIRURGICA
PERTRACTANS
MORBUM DE ŠKARLIEVO

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA ET CHIRURGIA
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME
OBTINENDIS
IN CELEBERRIMA
C. R. MILITARI SCIENTIARUM
ACADEMIA MEDICO-CHIRURGICA
VINDOBONENSI JOSEPHINA
publicae disquisitioni submittit

Josephus Joannes Nep. Kintzel,
Croata Rékensis
Medicus castrensis.

In Theses adnexas disputabitur in Aedibus Academiae Josephinae, die   Mensis Aprilis anni 1836.

Vindobonae,
Typis Francisci Ludwig.

EXCELLENTISSIMO

AC

ILLUSTRISSIMO

DOMINO COMITI

GEORGIO

ERDÖDY

DE MONYOROKERÉK.

MONTIS CLAUDII, ET COMITATUS VARASDINENSIS PERPETUO COMITI, ARCIS, CIVITATISQUE EJUSDEM NOMINIS HAEREDITARIO CAPITANEO; S. C. ET R. A. M. CAMERARIO, ET ACT. INTIMO STATUS CONSILIARIO, INSIGN. ORDINUM MELITENSIS ET BAVARIAE REGIS MERIT. EQUITI etc. etc.

EXCELLENTISSIME
DOMINE COMES.

Parva quidem et debilia sunt, quae TIBI pro innumeris, quibus munificentissime cumulabar, beneficiis, hisce pagellis offero gratitudinis signa.

Ast alta ILLUSTRISSIMORUM MAIORUM TUORUM mens, qua non tam actum gratitudinis, quam animum potius devotum re-

spexere TIBI quoque innata est.

Suscipe igitur EXCELLENTISSIME DOMINE COMES benigno animo primum hoc studiorum productum litterarium in tesseram gratitudinis perpetuae, animique devoti.

EXCELLENTIAE TUAE

devinctissimus Auctor
Josephus Joannes N. Kintzel.

Lectori Salutem!

Ultimam, quam alma Josephina nobis imponit, obligationem soluturus, conscripsi tractatum de morbo de Škarlievo, utpote de malo, quod patriae meae partem dirum in modum condam infestabat, de cujus natura sententiae autorum differentes, de quo in libris scholasticis solum nomen legis.

Contuli de hoc morbo nota, comparavi omnia inter se, et cum iis, quae mihi condam videre licuit, et sic exsurrexit libellus, quem oculo torvo ne adspicias, desiderat

Vindobonae mense Aprili 1836.

Auctor.

Ante conclusionem distingvas, oportet.

Sectio I.
Pars historica.

Morbus, quem auctoribus: Mal di Škarlievo, Mal di Bréno, Malum Grobniggense, Margaretica, Morbus syphiliticus ulcerosus, M. contagiosus, scabioso-venereus, M. croatus, M. fluminensis, Scabies venerea contagiosa, Framboesia illyrica, Falcadina appellare placuit, nos vero sub nomine Morbi de Škarlievo contemplabimur, circa annum 1800, tempore universalis in oris mari adriatico adjacentibus militiae delectus publice innotuit, ab investigantibus Protomedico Massich et doctiss. Cambieri pro morbo naturae syphiliticae, malo Scotiae, Canadae et Norwegiae analogo habitus, et ob ibi locorum frequenter occurentem Scabiem: Mal scabioso venereo nominatus est.

Ex farragine narrationum popularium de mali hujus originis ratione, licet parum lucis in obscurissimo hocce themate adferant, vero similiores communicabimus. Anno videlicet 1790 quatuor e littorali Croatiae oriundi milites navales finito bello turcico ab Istri ripis in patriam reversi, totoque corpore ulcerosi, in pago Draga cum persona quadam juris publici, nomine Margaretica conversati,

morbi hujus sensim per loca Draga, Praputnik, Škriljevo, et Kukulianovo propagati, semina jecisse dicuntur. Alii a milite quodam circa idem tempus ad Dalmatiam profugo et terminato bello domum redeunte, malum hoc vulgatum fuisse credunt; nec desunt, qui Piratam gallum in Bréno, aut milites Hassos in eodem loco, auctores morbi de Skarlievo fuisse, inculpare satagunt. Ob rationes, quae in Nosologia magis patebunt, nobis traditio popularis, secundum quam origo morbi navi svecicae, cujus milites toto corpore ulcerosi, debetur, minime spernenda videtur.

Quaecunque autem sit originis ratio, id ex inquisitionibus publicis indubitate evincitur, morbum de Škarlievo ante A. 1790 in Croatia non exstitisse, eumque non ex influxibus climaticis ortum, sed illatum fuisse. Etenim influxus climatici, quibus analogus si non idem morbus ad littora Norvegiae adscribitur, ad mare adriaticum ne nomine quidem noscuntur, alia praeterea est vivendi ratio populo slavico in littorali croatico, quam gotho germanis ad ultimos Europae borealis fines degentibus.

Illatus sic patriae nostrae morbus adeo crebra cepit incrementa, ut non solum littorale croaticum, verum et adjacens Istriae, nec non Carnioliae pars eo inficerentur; sed proxime sita regimina confiniaria, et pars provinciae Severinensis eo contaminanda iri timerentur. Enormis hoc morbo prehensorum numerus (remonstratio medica A. 1800 altiori loco substrata 2,600 in solo littorali croatico exhibuit) supremae status administrationis adtentionem excitavit, eamque ad talia consilia capienda permovit,

quatenus morbo omnem generationem in germine destruere pergenti obex ponatur, isque radicitus evellatur.

Delegata igitur fuerat A. 1801. Flumen commissio medicorum aulica, cujus in medicis director celeberrimus Professor a Stahli, eique injunctum, ut modus, quo universalis populi cura instituenda esset, altissimo loco substernatur. Rati habitis omnibus commissionis propositionibus, nec non subsidiis pecuniariis munificentissime adplacidatis, cura populi eodem anno ita coepta, ut sub directione commissionis medici locales aegros morbo mitioris gradus correptos domi suae, exhibendo eis medicamina necessaria tractarent, ii vero, qui morbo hoc gravius laborarent, Nosodochio fluminensi, 200 aegros capienti, immiterentur. Methodus, qua in hoc tractamine utebantur, fuerat antisyphilitica, in exhibitione mercurialium consistens, utpote quam pridem Protomedicus Massich, et cel. Cambieri tamquam optimam comprobarant. Non minores fructus saluberrima consilia P. Frank, nec non L. B. a Stifft tulere.

Tractamine universali populi sic per 16 menses continuato, omnia adeo e votis successere, ut commissio medica morbum eradicatum pronunciare valuerit. Sed qui singularem populi ejatis verecundiam, qua ductus, sylvas petendo inediam, et acerbissimos dolores potius pati, quam corpora sua coram visitantibus denundare, non abhorret; qui ignorantiam in iis praesertim, quae sanitatem adtinent; qui propriam erga medicos et medicamina aversationem, serio volverit animo, haud difficul-

ter credet, hinc inde occulta delituisse morbi semina, quae velut ignis sub cineribus gliscens, remota invigilatione, in apertam iterum erupere flammam.

His infaustis, institutionum ad morbum eradicandum sat sumptuosarum, successibus ne minime perterrita alta Divi condam Caesaris Francisci mens, licet temporum bellicosorum circumstantiis admodum premeretur, pro paterna, qua erga omnes vasti imperii incolas ferebatur, solicitudine, de novo omnia, quae ad morbum radicitus evellendum facerent, A. 1808 in mandatis dare dignabatur. Sed marte minus armis austriacis favente, provinciisque his Gallorum potestati subjectis, iterum iterumque infelix populus sibi suaeque miseriae relictus est, nihilque ad morbum exterminandum actum, praeterquam, quod daborata Dr. Ragneris, et cel. Cambieri societati medicae Parisiensi A. 1811 praelegerentur.

Finitis gloriose bellis, provinciisque his iterum sub sceptrum adnatum redeuntibus, Summus terrae Princeps, ut quo citius malum eliminetur, Ipse oras has visitare, nec non summa populi miseria Cor Ejus Paternum maxumopere movente, illico demandare dignabatur, ut morbus omnibus possibilibus adminiculis, non respectis ab aerario ferendis sumptibus, quo ocius eradicetur. Rati habitis altissimo loco omnibus idcirco elaboratis propositionibus, tandem disignata sunt duo sanationis publicae instituta, unum Flumine, aliud in Portu regio, utrumque 1,000 capiens aegros, utrumque in duo nosodochia subdivisum, sedulo quoque

omnia, quae auxilium medicum et adprovisionem oeconomicam concernunt, procurata. Sed maxima sanationis obstacula jam in populo ipso, cujus singularis verecundia a visitationibus abhorret, cujus ignorantia malum, quamquam turpissimis ulceribus corpus defoedans, tamen minime dolorificum pro morbo non agnoscit, cujus denique liberatis studiosa mens nosodochia velut carceres, medicos velut veneficos fugit, reperiebantur ita, ut primo populus e cathedra per sacerdotes de natura et sequelis morbi, de necessitate profligationis ejus, nec non de pia Summi terrae Principis in se mente edoceri debuerit. Quo facto populus non tantum visitationi nullos obices posuit, verum promptissimo animo omnibus idcirco latis legibus, se subjecit, nec non turmatim nosodochiis induci expostulabat.

Introductis igitur, ut omnis aegrorum numerus tandem nosodochia ingrediatur, a limitibus provinciae versus centrum omnibus morbo adfectis, perpurgatione utensilium domesticorum interim in domibus derelictis instituta, cura universalis Flumine 1. Aprilis, in Portu vero regio 1. Junii 1818 coepit, utve scientia nova capiat incrementa, in peculiari instituto Flumine cel. Cambieri pericula scientifica facere injunctum.

Faustissime omnia procedebant, in cujus documentum publicae inserviunt relationes. Sic remonstratio fluminensis exhibet a 1. Aprilis 1818, usque finem Novembris susceptos 2,383 aegros cum infantibus neonatis 15, ex quibus 226 profugi, 363 ad nosodochium Portus regii translati, 1,757 sanati, 52 mortui, et 28 recidivi iterum suscepti. Similia data

reperiuntur in remonstratione Portus regii, ubi a 1. Junii usque ultimam Decembris 1818 suscepti aegri 1,904 cum 20 neonatis, sanitati restituti 1,131, recidivi iterum suscepti 21, profugi 125, mortui 76. — Remanserunt in nosodochio Portus regii, utpote in instituto in futurum persistente 652. Totum sanationis negotium 252,507 fl. 20 kr. constitit. Magna certe pecuniarum vis, sed magnis solum, magna efficiuntur!

Et sic morbus epidemius, qui omnem mari adriatico adjacentem provinciam tristi involvere fato minabatur, eo reductus est, ut nonnisi hic ibi sporadica occurrant morbi de Škarlievo specimina, spesque magis et magis firmetur, fore ut, morbus nunquam adeo perniciosam induat indolem. Firma in hujus spei argumentum prostant praesidia; etenim medicis ejatibus et Diagnosis et Therapia morbi constant, populus tristibus incuriae suae sequelis monitus, lubens medici quaerit auxilium, denique in Portu regio semper apertum est nosodochium, in quod omnes morbo hoc vel suspecti ingeruntur.

Sectio II.

Pars nosographica.

Utut morbus de Škarlievo pro similitudine sua cum aliis morbis diversas mentiatur formas; adcuratis tamen medicorum observationibus, eum ad tres redigere modificationis generales, quibus membranas muciparas, ossa, et cutem externam petit, successit.

1. Sedes in membranis muciparis.

Quamprimum contagium de Škarlievo reactionem vivi excitavit, mox plurrimi aegrorum primo dolores secundum columnam vertebralem, et in articulationibus, dein in ossibus tubulosis, noctu praecipue exasperandos, percipiunt; quin desint aegri, licet supremo mali gradu affecti, dolores hos pertinaciter negantes; dum e contra observatores medici in exordio morbi neminem a doloribus his immunem fuisse contendunt. Praegressis igitur his doloribus, aut pro circumstatiis non praesentibus, vox aegrorum fit rauca, et deglutitio turbatur, quin exempla solae dysphagiae desint. Faux, velum pendulum, uvula, et tonsillae superficialiter inflammantur, colore profunde rubro tinguntur, nec non hinc inde velut globulis sangvineis conspersae cernuntur. His comparentibus, et crescente inflammatione, dolores osteocopi decrescunt. Dolor in partibus inflammatis adeo modicus est, ut plerumque praetervideatur.

Longiori post inflammationem tempore, labia, os, et fauces striis albis, postea in ulcera, fundo lardaceo, coloris obscure lutei, et marginibus profunde rubris, quidquam elevatis, instructa, abeuntibus, notantur. Ulcera haec quaquaverus expanduntur, primo partes solido-molles, dein ossa ipsa nasi, palati etc. devastant, corrodunt. Non raro per canalem lacrymalem oculum petunt, Blepharophthalmiam causantia; dum alia ex parte totam faciem uni ulceri involvunt. Dum inflammatio ad laryngem ipsum protenditur, aut in ulcerationem transeundo Phthisin trachealem, aut membranas muciparas incrassando perpetuam Raucedinem

et Dyspnoeam, imo mortem causat. Sed pro magna mortalium hoc malo laborantium felicitate non omnis inflammatio sic terminatur, sed potius apud plurrimus aegrorum vis morbi aut ossa, aut cutem externam petit. Quamquam autem haec sedis mutatio in plurrimis casibus, licet non semper a devastationibus in collo praeservet, sic tamen fere semper superficialis inflammatiuncula remanere solet.

2. Sedes in ossibus. Regredientibus anginad symptomatibus, dolores osteocopi diu noctuque aegrum vexantes, et praecipue noctu exasperandi recrudescunt, ossaque in apophysibus suis emolliuntur; exoriuntur tophi. Praecipue autem tibia intumescere solet, in opprobrium omnis formae turpissime defiguranda. Non raro tophi in ulcera mali moris abeunt, texturam ossis persaepe carie vastantia.

3. Sedes in cute. Dum Škarlievo cutem petit; angina quoque recedere solet, exoriturque eruptio cutanea per annos duratura, aut etiam exulceranda.

Formas, sub quibus exanthema in Škarlievo adparere suevit, describere perarduum; cum primo vix forma detur, sub qua exanthema in Škarlievo visum non fuisset, dein quod in uno eodemque individuo plures ad semel formae occurrere soleant, tandem id non praetervidendum, quod in subdivisione exanthematum constanti normae adhuc supersedeamus. Celeberrimus Protomedicus Jennicker in sua adumbratione exanthematum in Škarlievo subdivisionibus Willani, et P. Frankii usus, nobis hic normae erit

Generales in Škarlievo exanthematum formae

sunt: Maculae, Tubercula, Tubera, et Vesiculae, quae in siccas et desquammandas, aut humidas et superficiales, aut profunde exulcerandas distinguuntur.

Maculae. Duae species harum noscuntur: cupreae sive rubiginosae scillicet, et violaceae. Priores in omnibus corporis partibus facie non excepta, a milii usque ad manus et ultra magnitudinem occurrunt, et ita distributae sunt, ut pellem trigidis mentiantur. Microscopio lustratae innumeras lineas praeseferunt, quibus squammulae albae insident. Minores cupreas Proryasin guttatam; majores vero Vitiliginem cupream secundum Willan dixere medici.

Maculae violaceae solum in dorso, scapulis, osse sacro, et clunibus visuntur, et adeo magnae sunt, ut partes vix nominatas ex integro tegant, marginibus non raro elevatis instructae. Superficies earum est holoserico similis, nonnihil splendens, velut oleo illita. Hanc formam Vitiliginem violaceam nominarunt.

Tubercula sunt eminentiae magnitudine acumen acus, usque milii granum aequantes, supra cutem elevatae, exsiccatae niveam maculam relinquentes, aut exulcerandae. Duae hic iterum species contemplandae veniunt, prout tubercula vel seorsim, vel confertim stantia reperiuntur, et prout sicca vel ulcerosa sunt.

Tubercula sicca, seorsim stantia, Škarlievo Psoram dixerunt, a Psora vulgari, per sedem suam totum corpus occupantem, intra digitos rariorem, sed e contra retro aures et ad ipsam faciem se

extendentem, per pruritus et ardoris absentiam, distingvendam.

Alia tuberculorum species „Psora leproidea" confertim corpus occupat, largiter desquammanda ita, ut corpus velut farina conspersum cernatur. Duae hujus speciei varietates noscuntur nempe: Herpes farinosus, dum noduli miliformes, confertim stantes, farinose desquammandi, singulas solum et principales corporis plagas occupant; et Lepra sicca, si praesentibus maculis rubiginosis aut violaceis, tubercula largiter desquammanda totum corpus tegunt.

In omnibus hucusque recensitis exanthematum siccorum formis, cutis est sicca, aspera, inaequalis, sine pruritus aut ardoris sensu; accedit quod nec coenaestheseos, nec animi alteratio observetur, valetudinis sensu perstante. Adnotandum quoque, quod omnes hae formae in uno nonnunquam individuo modicis solum limitibus disseptae cernantur.

De tuberculis siccis hucusque loquuti, nunc humida contemplabimur. — Tubercula sicca seorsim stantia, cum exulcerantur, cicatrices niveas, interstitiis rubiginosis, si ejusmodi maculis insedere, notatas relinquere solent; dum tubercula conferta, ulcera plana, integras articulationes occupantia, saniem specifice foetentem, glutinosam, partes proximas corrodentem, plorantia formant, communiter Herpes rodens, sed melius Vitiligo ulcerosa superficialis appellata. Si vero ulcera haec profundius penetrarunt, forma haec nomine Herpetis exulcerantis phagadenici profundio-

ris, aptius Vitiliginis ulcerosae profundioris venit.

Tubera prominentias duras, pisum magnitudine aequantes, e cute excrescentes „Framboesia illyrica" profunde rubras vel violaceas sistunt. Sedes tuberum variat. Nonnunquam cuti incoloratae per totum corpus facie non excepta insident; saepius rubiginosis aut violaceis maculis. In posteriori casu solum in dorso, scapulis, osse sacro, et clunibus esse solent, sub nomine Vitiliginis cum Tubere nota. Tubera haec per annos perdurant, solum in apice desquammantur tandem in ulcus abeuntia. In facie sedentia aegro adspectum Elephantiasis conciliant. Si tubera haec seorsim stantia in ulcerationem abeunt, versus peripheriam partes corrodunt, in centro cicatrisanda. Insigniverunt hanc formam nomine Herpetis exulcerati, melius autem Vitiligo tuberculosa exulcerata adpellaretur.

Vesiculae in erythemate levi, cujus cuticula semper profundius labitur, oriuntur. Si confertim stant, sub nomine Herpetis rodentis vel Vitiliginis ulcerosae superficialis, ulcera superficialia efformant.

Tubercula, tubera; et vesiculas exulcerari monuimus; superest, ut cum formis, sub quibus haec exulceratio contingit, tractatus de sede morbi de Škarlievo in cute claudatur.

Dupplicis autem generis ulcera, superficialia nimirum, et profundius serpentia noscuntur.

Priora per id distinguuntur, quod solum in reti mucoso et superiori corii parte sedeant, quod muco-

sam, glutinosam, specifice foetentem saniem plorent, quodve tam insigni excellant nisu plastico, ut non raro partes prius disseptas brevissimo tempore conglutinari videre licuerit. Sic cuidam os ad obuli magnitudinem concrevit, quin postea locus rimae labiorum dignosci potuerit; alteri palpebra superior et inferior respectivis marginibus orbitalibus spatio unius noctis adcreverunt. Ulcera haec cicatrices semper niveas relinquunt, quae, cum tela cellulosa in interstitiis destructa fuerit, diversis venosis diramificationibus notantur. Ulcera faciei, praesertim autem nasi pessimi sunt moris, turpissime enim defoedant totum vultum, longe lateque non tantum partes solido-molles, verum ipsa etiam ossa nasi, palati etc. destruentia. In cujus documentum hic solum unicum, sed horrendum liceat adducere specimen, cui Škarlievo exesis oculis, uni ulceri involuta integra facie, devastatoque externo et interno naso, nec non molli et parte duri palati (quorum loco foramen turpe conspiciebatur) nec labiis pepercit, ita, ut dentes omnes viderentur, — et tamen infelix haud jam homini similis orci faucibus ereptus est! —

Ulcera profundius serpentia sunt impura, callosa, mucosa, fungosa. —

Omnia hucusque descripta ulcera in eo conveniunt, quod ex centro versus peripheriam sanentur, ita, ut dum in centro cicatrix formatur, ulcus versus peripheriam partes corrodendo se ultro extendat. Id quoque proprii habent, quod saepe absque artis adminiculo sanentur, quin forma detrimentum patiatur.

Tantum autem formae, sub quibus Škarlievo

adparere suevit, variare solent, ut jam a primariis doloribus osteocopis ulterior progressus ad alias formas, et retro observetur.

Non minus quam sedes et formae morbi de Škarlievo, complicationes ejus cum aliis, medici ingenium curiose exercent; praecipuae sunt:

Condylomata ab initio epidemiae copiosiora, nec aetati nec sexui parcentia, recenter solum in 20 individuis, naturae dubiae observata.

Bubones in duobus et quidem evicte leprosis reperti.

Gonorrhoea nulla; Leucorrhoeae paucissimae, naturae ancipitis.

Ulcera genitalium ab initio frequentia, recenter solum in 15. individuis.

Tinea praesertim juniores plectens, sed nunquam bulbos capillorum eradicans.

Elephantiasis et Rhachitis nonnunquam observatae.

Fungus articulorum aliquoties visus, nil aliud fuisse videtur, quam incrassatio condylorum, ligamentorum, nec non coagulatio synoviae.

Contracturae artuum potissimum in inferioribus extremitatibus observatae, ex tumore condylorum, abbreviatione tendinum, et musculorum, incrassatione textus cellulosi, maxime vero ex contractione cutis cicatrisatae, provenientes.

Pes Elephantis in insigni pedis per tumorem minime dolentem deformatione consistens.

Sectio III.

De natura morbi.

De natura morbi de Škarlievo disserturi, bene memoria tenemus, nos non leve negotium suscepisse; etenim tanta est cachexiae unius in apice culturae suae existentis cum altera qualibet similitudo, ut auctorum circa Škarlievo dissensio, et argumentorum corroborandarum respectivarum sententiarum gratia prolatorum insufficientia, facillime excusari possit; necessum igitur fuerat, relictis omnibus praejudiciis ex descriptione morbi, comparatione ejus cum similibus, et ex iis, quae propria condam observatio docuit, omnia quae ad naturam propius noscendam faciunt, novitus eruere.

Ut autem firmiora sint, quae de natura morbi prolaturi sumus, argumenta, quasdam sub decursu observari solitas proprietates hic in memoriam revocare, nec non morbos, quibuscum confundi posset, enumerare, minime superfluum esse judicamus. Proprietates, sub decursu observari solitae, praecipuae sunt:

1. Contagium naturae admoxum fixae per mutuum nonnisi contactum, praesertim per vestes infectas, per coitum vero, ope ulcerum videlicet in genitalibus, quam rarissime (licet possibilitas non negetur) vulgatur.

2. Proles a matribus infectis generantur, et lactantur citra periculum infectionis.

3. Contagium Škarlievo eas solum membranas, quae aëri patent, adficit, parcens primarie intestinis.

4. Secundum observationes cel. Cambieri radicaliter a Škarlievo sanatus nunquam amplius inficitur.

5. Dolores osteocopi naturae febrilis, in eruptione mali praesentes, hac peracta cessant, reversuri si morbus sedem mutat. Dum adsunt diu noctuque aegrum vexant, exacerbationes nocturnas facientes.

6. Praesentibus siccis axanthematibus aegri vix inamoenam sensationem, sed et profundissimis ulceribus partes vastantibus, haud dolorem percipiunt.

7. Aegri hoc morbo adfecti caeteris paribus bene prospiciunt.

8. Qui in juventute eo plectuntur remoram in evolutione pati solent, ita, ut vigennarium pro puero 13 annorum haberes.

9. Praesente morbo omnes functiones organicae bene procedunt.

10. Morbus per 20 etiam annos aegrum infestans, sanitatem non notabiliter turbat.

11. Morbus sibi soli relictus, sed solum apud paucos, autocratia naturae sanatur.

12. Nonnulli solo usu externo Sulfatis cupri, alii decocta lignorum bibentes sanati fuisse dicuntur.

13. Ulcera formam et texturam organicam devastantia, semper ex centro versus peripheriam cicatrice providentur.

14. Nisus lymphae in coagulum per hunc morbum intenditur, textus cellulosus densatur, abbreviatur cum musculis, tendinibus, et eorum vaginis.

15. Sub morbo hoc crebrae sunt excrescentiae et pseudoorganisationes.

16. Pluries formam mutat morbus, jam in melius jam in deterius vergens.

17. Nunquam est Škarlievo directa mortis causa, sed haec secundarie exhaustione virium per profusas exulcerationes, Diarrhoeis colliquativis, Phthisibus trachealibus, Asthmatibus, Hydrothorace insequitur.

Ex iis, quae de decursu morbi de Škarlievo, nec non de proprietatibus ejus recensuimus, absque difficultate magna cum aliis diversis morbis similitudo eruitur; unde tot morbi denominationes, unde tanta inter auctores de natura ejus dissensio.

Praecipui morbi, quibuscum hinc inde aequiparatur, sunt: Scabies, Syphilis, Lepra graecorum, et Lepra mediolanensis seu Pellagra.

Scabiem jam prius a Škarlievo differre evicimus.

Difficillimam respectu differentiae similitudinem autem sistit Syphilis, quae auctoribus adeo placuit, ut Škarlievo quidquam audacter pro vera sed mitigata Syphilide, et quidem ex aequalitate symptomatum, ex modo passionum in utroque morbo aequali, ex methodo therapeutica, tandem propter historicam traditionem, habuerint.

Horum argumentorum singulum oculo critico lustrantes, aequalitatem symptomatum in utroquae morbo primo oppugnamus, in originis et decursus rationem utriusque curiose indagaturi.

1. Quamquam non dubitemus Syphilidem per solum contactum communicari posse, quod autem rarissime contingit (requiritur enim in hunc finem pars aut epidermide orbata, aut vulnerata, aut membrana mucosa contagio patens, aut summa cutis

propria receptivitate donatae tenuitas) ea tamen semper, paucissimis casibus exceptis, per coitum vulgatur; hoc autem historia teste in Škarlievo non fieri e prioribus elucebit.

2. Licet contendere nolimus matres Syphilide laborantes, infectas quoque generare proles (possibilitas, imo verosimilitas cuique, qui magnam, qua crasis humorum in Syphilide laborat, anomaliam respexerit, quive non solum corporis, sed et animi dotes pariter, ac vitia in sabolem transplantari meminerit, patebit) id tamen nemini negare licebit, a Syphiliticis nutricibus, proles lue inquinari; dum e contra hoc in Škarlievo nuspiam observare licuit.

3. Morbus venereus cum semel infecerit corpus, sat longo eget tempore, donec crasin humorum alteret, quod cum effecit, destructio organici cito contingit, intensitate semper crescente: Škarlievo vero per 20. annos portari potest, quin sanitatem notabiliter turbet, mutat saepe sedem, nunc in melius nunc in deterius transiens.

4, Lues venerea jam sat diu perstitisse potuit, donec dolores osteocopi aegrum vexare incipiunt, nec unquam lues ab iis orditur; in Škarlievo autem, quamquam eos lubenter dum et quando in origine morbi non praesentes fuisse concedamus, tamen multo prius (si non *cum* eruptione morbi, quod ante creberrime observatum) ac in Syphilide adesse solent, semperque dum morbus sedem mutat recrudescunt.

5. Dolores osteocopi in Syphilide solum nocturni sunt, calore lecti exacerbandi, usque mesonyctium intensitate crescentes, postea remittentes, tere-

brantes, rodentes, in ossibus superficialibus, ut: tibia, sterno, clavicula, persentiri soliti: in Škarlievo diu noctuque aegrum infestant, cum eruptione mali cessant, revertuntur dum morbus sedem mutat, mutatione peracta evanescunt. Quoad naturam magis rheumaticis accedunt.

6. Negari quidem non potest luem veneream pari ratione ut Škarlievo membranas mucosas, aut cutem aut ossa petere, sed tot exanthematum formas in lue nemo unquam observavit, ac in Skarlievo; exemplo sit vitiligo violacea.

7. Quod methodum therapeuticam attinet, quidem certum est, mercurialia plurrimum in Škarlievo praestare; ast ex inde nedum ad veneream mali indolem concludere fas; utimur enim Hydrargyro in omni morbo pertinaciter in vegetatione indulante, puta: in Scabie inveterata, ad praecavendam Hydrophobiam, in Scrofulosi si nisus humorum in coagulum nimius adest, et in aliis.

8. Ex historia morbi de Škarlievo, qui praecedentia memoria tenet, eodem jure eum pro Scabie, aut pro qualicunque alio vegetationis morbo, ac pro lue venerea habere posset.

Refutata, quam de syphilitica morbi natura protulere, sententia, argumenta quaedam adhuc adducimus, ut eo magis pateat Škarlievo a lue quoad naturam longe differre, et quidem:

1. In Škarlievo insignis nisus lymphae in coagulum observatur, textus cellulosus densatur, incrassationes partium contingunt, plasticitas tanta est, ut spatio unius noctis partes in nullo nexu stantes concrescant; quid autem Syphilis? — est liquatio-

nis processus, et si alicubi productiones morbosae observantur, ut e. g. tophi, fictitius solum in coagulum nisus est, nam ulceratio partes liquans, certo certius insequitur.

2. Ulcera in Škarlievo e centro versus peripheriam sanantur, semperque cicatricem niveam, quidpiam prominentem reliquunt, in Syphilide vero recte contrarium fit.

3. Syphilis in nostris terris (nonnunquam id in Africa fieri posse concedimus) autocratia naturae certe nunquam, Skarlievo autem licet non adeo frequenter, ast pluries tamen sanari visus est.

4. Cel. Cambieri affirmat eos, qui ex Škarlievo radicaliter convaluere, non amplius infici; quem autem mortalium lue laborantem sagacissima licet therapia a periculo novae iuflectionis praeservavit! —

Convictum jam quemque arbitramur, Škarlievo non esse naturae venereae; transimus igitur, ad ulteriores ab aliis morbis differentias enucleandas.

Lepram graecorum quidam, forma squammarum occurrere solentem, morbo de Škarlievo, etiam hanc formam aemulanti, similem putarunt; ast in Lepra penes formam squammosam, dysphoria universalis, febris, exulceratio pertinax, quibus tabes victimas morti tradens superaccedit, adsunt.

Non minus in Lepra mediolanensi s. Pellagra a Škarlievo distinguenda non haesitamus; est etenim illa Leprae species, quae partes solum radiis solis patentes occupat, universalibus morbosis symptomatibus stipata, circa aequinoctium hyema-

le oriri, et in autumno cessare solita, futuris veribus ad internecionem usque recurrens. Ex quibus utique eam, nonnisi quoad formam e longinquo quidpiąm similem esse, colligitote.

Sedulo collectis, quae ad naturam morbi de Škarlievo illustrandam faciunt, nec non differentiis, quibus a morbis similibus distingvitur, allatis, malum de Škarlievo morbum esse sui generis, contagiosum, chronicum, in vegetatione profunde nidulantem, malo sub nomine Leprae arcticae in Norvegia, Islandia et Dithmarsia endemio, analogum, et probabiliter ab inde illatum, nunc vero per decursum temporis, per clima mitius, per vivendi rationem, et alia, mitigatum declaramus.

Morbum esse sui generis, differentiae, quibus a morbis similibus distinguitur, supra allatae probant.

Naturam contagiosam propagatio ejus rapida (spatio enim 10 annorum numerus aegrorum ad 3,000 adcrevit) et historia evincunt.

Chronicum esse facile intelliget, qui morbum etiam per 20 annos in uno individuo, quin status sanitatis notabiliter turbetur, persistere posse meminerit.

Quod sedem morbi in vegetatione pronunciatam concernit, omnes auctores inter se consentiunt, edocti eum in systemate lymphatico glandularum tumores producere, lymphae nisum in coagulum intendere, in systemate dermatico excrescentias et

pseudoproducta diversa formare, in systemate ossium gummata, tumores, tophos, alia parare.

Ultimum, quod analogiam morbi de Škarlievo cum Lepra arctica „Radesyge" concernit, evicturi, quaepiam ex nosographia huju mali breviter recensere, necessum esse duximus.

Vulgatur quippe morbus hic in Norvegia endemius contagio, ast non per coitum, eruptioni ejus aut nulli prodroni praecedunt, aut a doloribus osteocopis, cum eruptione inflammationis in faucibus cessaturis, orditur. Malum tardissimos faciens progressus, valetudinem non notabiliter turbans, dolores minimos causans, simili modo ac in Škarlievo in membranis mucosis faucium, et partium adjacentium in ulcerationem, partes solido molles et tandem ossa destruentem, abit. In cute sedem figens, maculas rubignosas, aut violaceas, tubercula, tubera, et herpeti similes vesiculas obtutui sistit; hae formae aut desqnammantur, aut in ulcera abeunt, quae e centro versus peripheriam cicatrice providentur, coloris nivei perennantis. Dum ossa adgreditur morbus, dolores osteocopi, diu noctuque aegrum vexantes, recrudescunt et similes ac in Škarlievo exitus patefiunt.

Hinc morbus Radesyge, qui sub nomine Leprae arcticae noscitur, quive nobis cachexiae, ex influxibus climaticis et propria vivendi ratione, ortae atque his potentiis sustentatae, genus esse videtur, magna cum probabilitate, ut et traditiones popularium confirmant, nostris terris illatus, matrem hodierni morbi de Škarlievo sistere, non absque omni jure dici posset.

Progressus morbi in origine sua rapidiores absa

que difficultate explicantur, ex eo, quod morbus valetudinem minime adficiens, et indolorificus populares caeterum in rebus sanitatem concernentibus rudes sibi ab infectione cavere non monuerit; dein cum aegri nimis verecundi nullum quaesiverint medici auxilium, propagationi, et augendae intensitati morbi amplissimus appertus fuerit campus.

Verumvero si clima in littorali croatico mite, si aërem purum, si populi robur insigne (paucissimis enim morbis laborant), si id, quod omne contagium per multa transiens corpora tandem mitius evadat, serio perpendamus, morbi de Škarlievo naturam admodum mitigatam declarare valemus.

Sectio IV.

Prognosis et Therapia.

Pro ratione sedis, nec non majoris aut minoris intensitatis varia est Prognosis. In genere autem semper est dubia. Plus spei habere possumus, si sedes morbi cutis externa; minus si ossa, adhuc minus, si membranae mucosae adficiuntur. Morbus ab initio facilius debellatur, ac inveteratus. Si ulcerationes in larynge aut plane in trachea adsunt, exitus semper est lethalis. Caeterum Škarlievo per se nunquam, sed per consectaria necat. Faustis signis adnumerari meretur, si morbus ex membranis mucosis ad cutem, aut ossa migrat.

Therapia.

Non contra scopum harum pagellarum esse censemus, si primo omnia remedia, quibus medici

in curando Škarlievo utebantur, breviter recensuerimus, in calce demum therapiam ad principia medicinae rationalis concinnatam adnexuri.

Princeps, et in millenis casibus comprobatum, remedium medicis semper fuerat contra Škarlievo Mercurius, quo, secundum morbi gradum modificato, in diversis praeparatis usi sunt. Maxima laus tribuebatur Muriati Hydrargyri corrosivo, cujus virtutem ab Aconito et Cicuta intendi credebant, a Carbonate Amoniae vero juvari ita, ut absque salivatione (quam non tantum non necessariam, verum nocivam putabant) feratur. Praecedente largo, sed frustraneo mercurialium usu, non raro salus soli Carbonati Amoniae adscribebatur. Proxime ad Muriatem Hydrargyri corrosivum accedebat Oxydum Hydrargyri rubrum ope Acidi nitrici paratum, quod aegri a granis duobus per 24 horas capiebant, et decoctum mucosum suprahaurientes facilius ferebant. Simili virtute ac Carbonas Amoniae gaudebat Mixtura de Pirylhe, ex infuso Herbae Melissae, et foliorum Sennae, cum Carbonate Amoniae, et Saccharo certa ratione mixtis, constans. — Ad debellanda ulcera pertinacia, tumores articulorum, et exanthemata rodentia, usi sunt suffimentis ex Cinnabari, exhibito quoque interne mercurio. Dolores osteocopi, penes internum Mercurii dulcis cum Sulfureto Stibii usum, citissime balneis marinis, et inunctionibus mercurialibus cessere. Ozaena, ulcera fungosa, vel carcinomatosa labiorum, nasi et faciei, quae mercurio restiterunt, ope mucilaginis gummi arabici, mellis puri aa semiuncia, cum Arsenici albi grano sanata sunt. Idem medicamen a

cochlearibus duobus dococto Cicutae aditum, et velut gargarisma, vel naribus adtrahendo adhibitum, etiam non defuit medicorum expectationi, in pertinacibus exanthematibus ad lavandas partes praescriptum. Tubera post tractamen mercuriale residua, ope causticorum vel tincturae Bellostii extirparunt. In Pede Elephantis fumigationibus muriaticis utebantur. Generatim autem aegris larga diaeta concedebatur, cum visum fuerit, curam inediae Osbeckii tristes parare sequlas.

Si diversa haec, quibus medici utebantur, remedia ad principia therapiae rationalis reducere adnitimur; indicationes, quibus haec superstruatur, stabilire oportebit.

Ex praemissis concepimus morbum ut contagiosum, in vegetatione nidulantem, nisu plasticitatem lymphae intendendi praeditum, diversis adfectionibus, et pseudoproductis localibus se manifestantem; hinc necessum est:

1. Causam, si fas, tollere, aut solum, ne ultro agere pergat praepedire.

2. Vegetationis opus ita alterare, ut nisus lymphae in coagulum deleatur.

3. Affectiones locales pro dignitate respicere.

Primae indicationi quidem difficulter satisfacere licebit, si perpendimus aegros nonnisi tunc, dum morbo jam declarato plectuntur, ad medicum concurrere; ast contagii vim, in jam infectis lotionibus pluribus multum infringi non dubitamus; hinc quicunque tractamini subjicitur, pluries in principio curae, toto corpore lavetur, necessum est.

Respectu secundae indicationis gratulamur no-

bis, quod medicorum, in curando hoc morbo versatissimorum, experientiam sequi possimus; habemus enim in Hydrargyro remedium, quo, ad alterandam vegetationem, ad inhibendum nisum lymphae in coagulum, ad solvendas pseudomorphoses, non superius aliud. Id tamen monendum habemus, ne efficacissima Mercurii praeparata, ut Murias Hydrargyri corrosivus, et Oxydum Hydrargyri rubrum tanta dosi ingerantur; sufficit enim ab utroque 1/10 grani pars, cum substantiis eadem non decomponentibus porrecta pro die, dosim sensim augendo. Quam auctores suadent, horum praeparatorum cum mucosis, ut quibus decomponuntur, conjunctio usui quem facere volumus, condradicit. Salivationem ad sanitatem recuperandam non requiri, millia aegrorum sanatorum evincunt. Si quis medicorum Carbonate Amoniae, aliisque vim Hydrargyri intendi censet, iis utatur, nos non! — Caeterum praeparata Hydrargyri gradui morbi adcomodanda iri, a quolibet, huic morbo medicinam faciente, expectatur. Decocta lignorum quibus medici minorem, ac merentur, fidem habuerunt, cuique, cui tristes, quas Mercurius parat, sequelae notae sunt, commendanda haud dubitamus. Regimen, si per morbum licet, sic modificandum, ut aeger aëri puro expositus, in motu eorporis non coërceatur. Diaeta, experientia teste larga sit, oportet; non nimia, digestu facilis, non justo plus nutriens. Complicationes secundum praecepta therapiae specialis tractandas esse quisque percipiet.

Tertia indicatio adfectioncs locales respicit. Considerantur hoc titulo:

1. Dolores esteocopi, quos interno Muriatis Hydrargyri mitis, cum Sulfureto Stibii usu, et externe balneis marinis, modice calidis, nec non inunctionibus mercurialibus citissime cedere superius intelleximus.

2. In exanthematibus rodentibus, in ulceribus mali moris, in tumoribus articulorum, suffimentis ex Cinnabari, in adparatu ad mentem de Carro constructo, adhibeantur, non neglecto interno mercurii usu.

3. Ozaena post largum mercurii usum adhuc remanens, Arsenico, ope penicilli cautissime adplicato tollitur.

4. Škarlievo sub forma Tineae caput occupans, solutione Muriatis Hydrargyri corrosivi facillime debellatur, dummodo interne Mercurio utamur.

5. Pes Elephantis fumigationibus muriaticis, penes interne exhibitum Hydrargyrum, sanatur.

6. Tubera post tractamen mercuriale, utpote mala mere localia, sed adhuc facultate inficiendi praedita, residua causticis tollantur.

Demum, quae ex largo mercurialium usu oritnr, cachexia mercurialis tollenda. Cura in hunc finem instituenda dupplicem finem habet: ut Hydrargyri e corpore eliminationem adjuvet, et dein recuperando pristino corporis vigori prospiciat. Hinc praemissis Sulfure, Sulfuretis, balneis sulfureis, ad acida mineralia, aqua copiosa diluta, praecipue muriaticum, transeundum, tandem opus salutiferum roborantibus amaris, denum si opus, ferro in auxilium vocatis, absolvendum.

LITTERATURA.

P. Frank, Eepitome de curandis hominum morbis.
Brera, Giornale di medicina pratica etc. Padov. 1812. Fasc. V. VII. VIII. (Cambieri).
Cl. A. Boué, Essay sur la maladie de Scherlievo.
Sedillot, Journal géneral de médec. T. XLII. Sptbr.
Lagereau, Fxposé des symptomes de la maladie vénérienne. Paris 1812.
Ehrhardt, med. chir. Zeitung 1814. Bd. II.
Giornale dell Omodei. Milano 1819. Fasc. 34 — 36.
Medicinische Jahrbücher des östr. Staates Bd. IV. St. 3. Bd. V. St. 3. et 4. (Jennicker) Bd. XI. St. 2. (Sporer.)
Schnurrer, Chronik der Stuchen. Bd. II.
Marcolini, Memor. medico-chirurg. Milano 1829.
Lorenzutti, Dissertatio de morbo di Scherlievo Padov. 1830.
G. C. W. Michahelles, das malo di Scarlievo Nürnb. 1833.
J. N. Rust, Handbuch der Chir. Bd. XIV. Berlin et Wien 1834.
J. N. de Raimann, Principia Path. et Ther. spec. Bd. II.
V. G. Pfefferkorn, über die norvegische Radesyge und die Spedalskhed. Altona 1797.
J. C. Müllertz, Bidrag bil oplysning om Radesygens natur. Kiobenhagen 1799.
J. Vongt, Diss. inaug. sist, observ. in Exanthema arcticum.
Osbeck, Fill den svenska allmänheten: fullständig uppgift. of min brukade Cur methode emot. urartade veneriska sjukdomar. Stokhi 1811.
Fr. Holst. Morbus, quem Radesyge vocant, quinam sit, quanamque ratione e Scandinavia tollendus; Christian. 1817.

Theses defendendae.

1. Skarlievo non est morbus naturae syphiliticae.
2. Usus Plumbi internus e medicina proscribendus.
3. In Physiologiae studio microscopium oculo id est, quod menti phantasia.
4. Exspectativa, in febribus in adynamiam vergentibus, reliquis praeferenda.
5. Facies plurimorum morborum fidus interpres.
6. Satius agit, qui instrumenta chirurgica simpliciora reddit. quam qui nova invenit.
7. Qui, in casibus trepanationem requirentibus, secundaria exspectat symptomata, tempus terendo, et operationis valorem, et aegri vitam periclitat.
8. Medicus poenae intensitatem determinare nequit.
9. Grave inter venena et contagia intercedit discrimen.
10. Sic dicta causa proxima morbi nil nisi morbus ipse.
11. Quo plura in morbo aliquo laudantur medicamenta, eo minus natura ejus constat.